

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Lucca, Biblioteca Statale (*I-Lg*)
Ms. 359, f. 93r-98v (106r-110v)
Transcription : Christian Meyer
(novembre 2006 – rév. nov. 2017)

106r

¹Incipit ars musice plane optima et perfecta.

²Ad evidentiam tam mensurabilis musice quam immensurabilis primo videndum est quid sit introductio et unde dicta. ²Secundo quid sit musica, unde dicatur et de quo loquitur. ³3° quot modis dividitur musica. ⁴4° quid sit subiectum et predicatum in musica. ⁵5° Quot sunt littere graves, acute et superacute et quot sunt voces universales ad totius musice distinctionem. ⁶6° quot sunt eius species et vocum mutationes et omnis cantus proprietates.

⁷De introductione

⁸Introductio est aliquorum compendiosa traditio que ad totius artis intelligentiam est necessaria, vel sic : introductio est brevis et apta rei demonstratio. ⁹Dicitur autem introductio ab *intro* quod est *intus* et *duco ducis*, quia ducit nos intus ad artem et ab ignorantia ad scientiam.

¹⁰Quid sit musica

¹¹Musica secundum Boetium est scientia recte canendi seu veraciter modulandi omnem perfectionem cantus. ¹²Dicitur autem musica a *moys* quod est *aqua* et *ycos* quod est *scientia* quasi iuxta aquas inventa est, et de numero relato ad sonos loquitur.

¹³ Quot modis dividitur

¹⁴ Musica autem dividitur in quatuor species diversas, s. celestem, humanam, planam et instrumentalem. ¹⁵ Celestis musica est que generatur ex volubilitate et collisione corporum superiorum, et hec armonia dicitur. ¹⁶ Humana musica est que ex hominis capite canora voce profertur. ¹⁷ Musica plana est que per beatum Gregorium composita fuit et ordinata. ¹⁸ Musica instrumentalis est que in instrumentis conficitur, ut cimbalis et organis.

¹⁹ De subiectio et predicato

²⁰ Subiectum in musica est aliquarum pausionum sceu vocum coniunctarum debite ac proprie observatio. ²¹ Predicatum est legitima proportio suis modis in omnibus diligenter observatis. Et supponitur parti <m> phylosophye et arismetrice. ²³ Item musica aliter diffinitur : Musica est motus vocum diversimode se habentium, s. per arsym et thesym, i. per elevationem et depositionem.

²⁴ De vocibus

²⁵ Vox est aer remissus intus numerabilibus instrumentis formatus. Instrumenta sunt pulmo, lingua, palatum, guttur et dentes, cum his et labia simul et similia. ²⁶ Vox humana se habet in triplici differentia : aut est pectoris aut gutturis aut capitis. ²⁷ Voces pectoris se habent in gravibus <et> tantum in fundamento cantus debent poni. ²⁸ Voces gutturis tantum modo se habent in gravibus et acutis. ²⁹ Voces capitis tantum modo in acutis et superacutis et non ad graves descendunt.

³⁰ De litteris gravibus, acutis et superacutis.

³¹ Notandum quod sicut sunt septem dies in hebdomada ita sunt septem littere in musica, s. A, b, C, D, E, F, G. Et octo prime dicuntur graves a gravedine quia gravem et profundum sonum reddunt. ³² Acute vero sunt VIII et dicuntur lacute quia sonum acutum reddunt. ³³ Alie vero sex dicuntur superacute quia acutis altiore habent reddere sonum. ³⁴ Nota etiam quod cum ista littera ·G·, que in principio artis ponitur, in gravibus VIII littere computantur, et VIII in acutis propter duo ·b· ·h·, que in ·b·fa·h·mi apropiantur. ³⁵ Et licet ponantur in eodem loco, tamen quia diversa significant, in numero aliarum clavium computantur. ³⁶ Et

primum dicitur ·b· mole, secundum vero ·b· durum vel quadrum.

³⁷ Similiter sex litteras ponimus in superacutis propter duo ·b· ·b·,

³⁸ et propter istam litteram ·e·, que pro cantus perfectione in superacutis ponitur quamvis Antiqui cantores illam non posuissent. ³⁹ Et omnes predictae littere dicuntur claves quia sicut

mediante clavi intramus domum, ita mediantibus his litteris intramus noticiam tonorum et semitonorum. ⁴⁰ Et est sciendum

quod prima predictarum litterarum poni in linea, secunda in spatio, 3^a in linea et sic de aliis secundum doctrinam sinistre


manus. ⁴¹ Primo in pollice dicitur Gama·ut in linea, ·A·re in spacio,

·b·mi in linea, ·C·faut in spacio, et sic deinceps per totam manum, excepto ·b· ·b· ponimus in linea vel in spacio : ·b· ·b· acutum ponimus

in spacio, superacutum in linea. ⁴² Et illam ultimam ·e· super-

acutum extra digitum longiorem ponimus propter cantus perfectionem. ⁴³ Sciendum est quod sub VIII litteris gravibus XIII voces

reperiuntur, sub VIII acutis XVIII voces figurantur, sub ultimis superacutis X tantum sicut patet inferius :




⁴⁵De proprietatibus cantus

⁴⁶Proprietates cantus tres esse dicuntur, s. $\cdot\flat\cdot$ quadrum, natura, $\cdot\flat\cdot$ mole. ⁴⁷Et dicuntur proprietates quia rectam viam proprie canendi et veraciter tonos et semitonia proferendi nobis assignat.

⁴⁸ $\cdot\flat\cdot$ quadrum autem cognoscimus quia incipit in $\cdot G\cdot$ scilicet $\cdot$ Gama-ut et $\cdot$ G-solreut gravi et acuto, et terminatur in $\cdot E\cdot$ gravi, acuto et superacuto. ⁴⁹Naturam autem cognoscimus quia semper habet stare in medio $\cdot\flat\cdot$ quadri et $\cdot\flat\cdot$ mollis et incipit in $\cdot C\cdot$ gravi et acuto et terminatur in $\cdot a\cdot$ acuto et superacuto. ⁵⁰Et potest dici natura sive proprius cantus quia naturaliter et proprie cantatur sine ulla mutatione tonorum et semitonium. ⁵¹B vero mole cognoscimus quia semper in $\cdot F\cdot$ grave et acuto incipit, et terminatur in $\cdot d\cdot$ acuto et superacuto.

⁵²Item alia regula. Omnis cantus habens originem in $\cdot G\cdot$, ascendens ultra tonum profertur per $\cdot\flat\cdot$ quadrum, et omnis qui oritur a quolibet $\cdot C\cdot$, ascendens ultra dytonum profertur per naturam. Et omnis qui oritur a quolibet $\cdot F\cdot$, ascendens | ultra $\cdot a\cdot$ lamire profertur per $\cdot\flat\cdot$ mole. Unde versus :

⁵³Naturam $\cdot C\cdot$ vult $\cdot F\cdot$ b mole, $\cdot G\cdot$ que quadratum.




49 mollis] moli *cod.*

⁵⁴ Notandum est autem pro predictis proprietatibus quod in ordinatione huius artis comprehendimus ordinate illas tres proprietates hoc modo. ⁵⁵ ·Gama·ut in linea unam clavem habet et unam vocem. ·G· est clavis, *ut* est vox et per ·h· quadrum cantatur et a semetipso descendit. ⁵⁶ ·A·re <est> in spatio et habet unam clavem et unam vocem. ·A· est clavis, *re* est vox et cantatur per ·h· quadrum ab *ut* de ·Gama·ut, et sic de singulis sequentibus. ⁵⁷ Sed ubi sunt due vel tres voces non per unam solam proprietatem cantatur. Sed si sunt tantummodo tres proprietates cantus nec pluries, sunt tantummodo tres voces in deductione et non plures, et utraque suam habet proprietatem dissimilem. ⁵⁸ Et est ratio quare *ut* a semetipso descendit et non ab alio. ⁵⁹ Et est initium et fundamentum sex vocum *ut re mi fa sol la*. ⁶⁰ Et in istis sex vocibus accipiuntur omnes alie, quia sicut in alphabeto computantur omnes littere universales ad omnem scripturam, ita iste sex voces sunt universales ad evidentiam omnium vocum ad musicam pertinentium. ⁶¹ Et quia ista vox *ut* dignior est aliis, ideo alie voces reducuntur ad ipsam sicut ad causam, non ipsa ad alias, quia a digniori inchoandum est. ⁶² Et propter hoc dicitur quod a semetipso descendit. ⁶³ Sciendum est quod protrahimus et figuramus duo principalia signa vel duas claves per quas habemus noticiam tonorum et semitoniorum, s. ·F· grave et ·C· acutum. ⁶⁴ ·F· ubique in gravibus respicit, i. suum respectum habet usque ad acutas. ⁶⁵ Et ·C· acutum respicit usque ad superacutas. ⁶⁶ Aliquando autem ·g· acutum figuramus propter defectum linearum et propter voces ascendentes in superacutis, quia in cantu plano vel ecclesiastico IIII lineas tantummodo figuramus, in mensurabili vero quinque, ita quod quandocumque cantus ascendit usque ad ·c· et ·d· et ·f· superacutum, tunc ·g· acutum fit hoc modo, ut hic patet inferius :




⁶⁷ De mutatione

⁶⁸Mutatio secundum Guidonem diffinitur sic: mutatio est unius vocis dimissio propter aliam sub eodem signo ac voce et sono, et dicitur mutatio a | *muto mutas*, quia sub uno signo unam proprietatem in aliam transmutamus. Ex causa necessitatis inventa est mutatio. ⁶⁹Unde quantumcumque possumus operari <per> has voces *ut, re, mi, fa, sol, la*, operari debemus semper mutationes evitando non quod totaliter possint evitari. Sed dum evenierit necessitas, mutatio debet fieri.



⁷⁰Sed sciendum quod omnis mutatio desinens in *ut*, vel in *re*, vel in *mi* dicitur ascendendo. ⁷¹Similiter mutatio desinens in *fa*, vel in *sol*, vel in *la* dicitur descendendo. ⁷²Sed aliquando fit mutatio per causam signi, s. per b mole, et b quadrum. ⁷³Unde quantumcumque cantus cantatur per b molle et postea invenitur b quadrum, debet fieri mutatio per b quadrum. ⁷⁴Et notandum est quod ad mutationem est necesse quod sint due voces unisonum representantes, i. in uno sono permanentes, et sic in ·Gama-ut, ·A-re, ·b-mi non potest fieri mutatio.

⁷⁵In ·C-faut fiunt due mutationes: *fa ut* ascendendo, *ut fa* ascendendo de b quadro in naturam, de primo cursu ad ·F· grave et de ultimo ad ·a· acutum. ⁷⁶*Fa* descendendo de natura in ·b· grave et de ultimo in ·G· gravi, s. ·Gama-ut, sicut hic patet:



⁷⁷In ·D·solre fiunt due mutationes s. *sol re*, *re sol*: *sol re* ascendendo et descendendo *re sol*. Ascendendo de b quadro in naturam, descendendo de natura in b quadrum, de primo cursu in

·E· gravi et de ultimo in ·a· acutum, et de *sol* descendendo de natura in ♭ quadro de primo cursu in ·b· gravi, et de ultimo in ·G·, s. in ·Gama·ut sicut patet inferius :




⁷⁸In ·E·lami fiunt due mutationes s. *la mi, mi la* : ascendendo *la mi* de ♭ quadro in naturam et descendendo *mi la* de natura in ♭ quadro, de primo cursu in ·E· gravi et de ultimo in ·a· acutum ; *mi la* descendendo de natura in ♭ quadro de primo cursu in ·b· grave et de ultimo in ·G·, s. in ·Gama·ut, ut patet in inferiori figura :



108r

⁸⁰In ·F·faut fiunt due mutationes s. *fa ut, ut fa* : ascendendo | *fa ut* de natura in ♭ mole, et descendendo *ut fa* de ♭ mole in natura, de primo cursu in ♭ acuto et de ultimo in ·d· acutum, *ut fa* descendendo de ♭ mole in natura, de primo cursu in ·E· grave et de ultimo in ·C· gravi, ut hic patet inferius :




⁸¹In ·G·solreut fiunt sex mutationes, s. *sol re, re sol, sol ut, ut sol, re ut, ut re* : ⁸²*sol re* ascendendo de natura in ♭ mole, *re sol* descendendo de ♭ mole in natura ; ⁸³*sol ut* ascendendo de natura in ♭ quadro et *ut sol* descendendo de ♭ quadro in natura ; ⁸⁴*re ut* ascendendo de ♭ mole in ♭ quadro et *ut re* descendendo de ♭ quadro in

b mole ; ⁸⁵*sol re* ascendendo de natura in b de primo cursu in b acutum et de ultimo in ·d· acutum, *re sol* descendendo de b moli in naturam, de primo cursu in ·F· gravi et de ultimo in ·C· gravi ; ⁸⁶*sol ut* ascendendo de natura in b quadro de primo cursu in b acutum et de ultimo in ·e· acutum, *ut sol* descendendo de b quadro in naturam, de primo cursu in ·E· gravi, et de ultimo in ·C· gravi ; ⁸⁷*re ut ut re* : iste due mutationes fiunt ascendendo tantum de b moli in b quadrum et de b quadro in b moli, ut hic patet :




⁸⁸In ·a·lamire fiunt sex mutationes s. *la mi, mi la, la re, re la, mi re, re mi* : *la mi* ascendendo de natura in b moli, de primo cursu in b acutum et de ultimo in ·d· acutum, *mi la* descendendo de b moli in natura, et de primo cursu in ·F· gravi et de ultimo in ·C· gravi ; ⁸⁹*la re* ascendendo de natura in b quadro, de primo cursu in ·b· acutum et de ultimo in ·e· acuta, *re la* descendendo de b quadro in natura, de primo cursu in ·F· gravi et de ultimo in ·C· gravi ; ⁹⁰*mi re, re mi* : iste due mutationes fiunt ascendendo tantum de b quadro in b <...> de b in b, ut hic patet inferius :




⁹¹In ·b·fa·b·mi nulla fit mutatio. ⁹²Talis ratio breviter assignatur : in ·b·fa·b·mi sunt due voces, que inter se diversos sonos habent reddere, quia inter illas voces est discordantia unius semitonii et sunt inequales. ⁹³Mutatio autem non potest fieri nisi sub uno signo et eadem voce equali et sono eodem. ⁹⁴Secundum quod diffinitur ergo : in ·b·fa·b·mi non fit mutatio.

⁹⁵In ·c·solfaut fiunt sex mutationes, s. *sol fa, fa sol, <fa ut, ut fa, sol ut, ut sol*. ⁹⁶*Sol fa, fa sol* :> iste due mutationes fiunt descenden-

do tantum de b in $\flat$ et <ascendendo> de $\flat$ in b moli ; ⁹⁷ *sol ut* ascendendo de b in natura, de primo cursu in $\cdot e \cdot$ acutum et de ultimo in $\cdot a \cdot$ superacutum, *ut sol* de natura in b moli et de primo cursu in <108v> $\cdot b \cdot$ acutum et de ultimo in $\cdot E \cdot$ gravi ; ⁹⁸ *fa ut* ascendendo de $\cdot b \cdot$ quadro in natura, de primo cursu in $\cdot e \cdot$ acutum et de ultimo in $\cdot a \cdot$ superacutum, *ut fa* descendendo de natura in $\flat$, de primo cursu in $\cdot b \cdot$ acutum et de ultimo in $\cdot G \cdot$ gravi.



⁹⁹ In $\cdot d \cdot$ lasolre fiunt sex mutationes, s. *la sol, sol la, la re, re la, sol re, re sol*. ¹⁰⁰ Prime due mutationes fiunt descendendo tantum : de b in $\flat$ et de $\flat$ in b ; ¹⁰¹ *la re* ascendendo de b moli in natura, de primo cursu in $\cdot e \cdot$ acutum et de ultimo in $\cdot a \cdot$ superacutum, *re la* descendendo de natura in $\cdot b \cdot$ moli, de primo cursu <in> $\cdot b \cdot$ mole acutum et de ultimo in $\cdot F \cdot$ gravi ; ¹⁰² *sol re* ascendendo de $\cdot b \cdot$ quadro de primo cursu ad $\cdot e \cdot$ acutum, et de ultimo ad $\cdot a \cdot$ superacutum, *re sol* de natura in $\cdot b \cdot$ de primo cursu [in $\cdot b \cdot$] <et> de ultimo in $\cdot G \cdot$ gravi.




¹⁰³ In $\cdot e \cdot$ lami et $\cdot f \cdot$ faut et $\cdot g \cdot$ solreut et $\cdot a \cdot$ lamire superacutis fiunt mutationes sicut in gravibus ut supra dictum est sine ulla variatione modorum. ¹⁰⁴ Similiter in $\cdot b \cdot$ fa $\cdot b \cdot$ mi superacutis nulla fit mutatio sicut nec in acutis.

¹⁰⁵ In $\cdot c \cdot$ solfaut fiunt due mutationes tantum descendendo de b in $\flat$ et e converso ut hic :



¹⁰⁶ In d.lasol fiunt due mutationes tantum descendendo, s. *la sol*, *sol la* de $\flat$ in $\flat$ et de $\flat$ in $\flat$ moli ut hic inferius :



¹⁰⁷ Ratio quare due ultime mutationes de $\cdot G \cdot$ solreut gravi et acuto in $\cdot a \cdot$ lamire acutum et superacutum fiunt ascendendo tantum, et quare due mutationes prime de $\cdot c \cdot$ solfaut etiam de $\cdot d \cdot$ lasolre et de $\cdot c \cdot$ solfa et de $\cdot d \cdot$ lasol fiunt descendendo tantum, hec est : ¹⁰⁸ quia, sicut dictum est, due voces de $\cdot b \cdot$ fa $\cdot b \cdot$ mi sunt inequales nec in eodem sono, et propter earum inequalitatem fiunt predictae mutationes ascendendo et descendendo tantum in $\cdot b \cdot$ fa $\cdot b \cdot$ ad noticiam $\cdot b \cdot$ molis et $\cdot b \cdot$ duri quomodo scilicet se habeat $\cdot b \cdot$ mole ad $\cdot b \cdot$ durum et econverso ; ¹⁰⁹ quia in ascensu et descensu propter illas duas figuras fiunt diverse speties cantus propter molliciam $\cdot b \cdot$ molis et propter duriciam $\cdot b \cdot$ duri.

109r

¹¹⁰ Species in musica est arsis et thesis omnium vocum scilicet rectam | proportionem omnibus diligenter ac proprie observatis.

¹¹¹ Arsis idem est quod elevatio, thesis idem est quod depositio.


¹¹² Sciendum quod in cantu sunt XIII speties nec plures nec pauciores. ¹¹³ Quarum specierum VIII sunt simplices et quatuor composite.

¹¹⁴ Simplices sunt unisonus, semitonium, tonus, semidytonus, dytonus, diatesseron, tritonus, diapente, diapason.

¹¹⁵ Composite sunt semitonium cum diapente, tonus cum diapente, semidytonus cum diapente, dytonus cum diapente.


¹¹⁶ Unisonus est ordinatio plurium vocum in eadem linea vel in eodem spatio existentium, vel sic : unisonus est quandocunque

plures note figure simplices vel neume in eodem spatio vel linea collocantur, ut hic :




¹¹⁷Neuma est quando plures note cuiuscunque speciei super unam syllabam collocantur.

¹¹⁸Semitonium est coniunctio duarum vocum semiplenam et imperfectam elevationem et depositionem faciens sine aliquo intervallo ¹¹⁹Et dicitur semitonium non a *semis*, quod est dimidium ut ait Boetius, sed a *semus* quod est imperfectum quasi due voces semiplenum sonum facientes, et invenitur inter *·h·* et *·C·* et inter *·E·* et *·F·* et inter *·a·* et *·b·* gravibus, acutis et superacutis, ut patet hic inferius :




¹²⁰Tonus est legitima spatii magnitudo plenum et perfectum sonum emittens, vel sic : tonus est coherentia duarum vocum plenam et integram elevationem vel depositionem reddens sine aliquo intervallo. ¹²¹Et invenitur inter *·G·* et *·A·* et inter *·A·* et *·h·* et *·C·* et *·D·* et *·E·*, et *·F·* et *·G·*, et *·b·* et *·C·* gravibus, acutis et superacutis.




¹²²Semidytonus est coniunctio trium vocum seriatim vel prolatim, et est dispositio toni cum additione semitonii, vel in principio vel in fine. Et figuratur duobus modis tantum, s. *re mi fa*

vel *re fa, mi fa sol* vel *mi sol*, ascendendo et descendendo. ¹²³ Et dicitur semidytonus quia dytonus imperfectus est, et invenitur inter *·A·* et *·C·* et inter *·b·* et *·D·*, et inter *·D·* et *·F·*, et inter *·E·* et *·G·*, et inter *·G·* et *·b·* gravibus, acutis et superacutis, ut hic :



¹²⁴ Dytonus est coniunctio trium vocum seriatim vel prolatim. Et est dispositio duorum tonorum. ¹²⁵ Et dicitur a *dya* quod est duo et *tonus* quia constat ex duobus tonis. ¹²⁶ Et figuratur duobus modis tantum, s. *ut re mi* vel *ut mi, fa sol la* vel *fa la*, et invenitur inter *·G·* et *·b·* et *·C·* et *·E·*, et *·F·* et *·a·*, et *·b·* et *·d·* gravibus, acutis et superacutis, ascendendum et descendendum, ut hic patet :



109v


¹²⁷ Diatesseron est coniunctio IIII^{or} vocum seriatim vel prolatim. ¹²⁸ Et est dispositio duorum tonorum cum additione semitonii *·b·* in principio vel in medio vel in fine. ¹²⁹ Et dicitur diatesseron a *dia* quod est de et *tesseron* quod est IIII^{or}. ¹³⁰ Et figuratur tribus modis, s. *ut re mi fa* vel *ut fa ; re mi fa sol* vel *re sol ; mi fa sol la* vel *mi la*, ascendendo et descendendo. ¹³¹ Et invenitur inter *·g·* et *·c·* et inter *·a·* et *·d·* et inter *·b·* et *·e·* et inter *·c·* et *·f·* et inter *·d·* et *·g·* et inter *·e·* et *·a·* et inter *·e·* et *·b·* gravibus, acutis et superacutis ut hic patet inferius :



¹³² Tritonus est coniunctio III^{or} vocum et est dispositio trium tonorum, semitonium carens et dicitur a *tris* quod est tres et *tonus* quia tres tonos continet. ¹³³ Et invenitur inter ·f· et ·b· et inter ·b· et ·f· grave, acutum et superacutum ut patet hic inferius :





¹³⁴ Item tritonus potest fieri ex V vocibus, s. duobus tonis et II semitoniis pro uno uno et sic V voces equipolent predictis III^{or} :




¹³⁵ Diapente est coniunctio V vocum seriatim vel prolatim ascendendo et descendendo et dicitur a *dia* quod est de et *pente* quod est quinque quia quinque voces continet. ¹³⁶ Et est dispositio trium tonorum cum additione unius semitonium aut in principio aut in fine aut in medio et 4^{or} modis figuratur, s. *ut re mi fa sol* vel *ut sol, re mi fa sol la* vel *re la, mi fa sol la mi* vel *mi mi, fa sol la mi fa* vel *fa fa* et invenitur inter ·g· et ·d· et inter ·a· et ·f· et inter ·c· et ·g·

et inter ·d· et ·a· et inter ·e· et ·b· et inter ·f· et ·c· gravibus, acutis et superacutis, ut patet hic inferius :



110r

¹³⁷Diapason est coniunctio VIII vocum, et est dispositio V tonorum cum II semitoniis que equivalent tonum perfectum. ¹³⁸Et dicitur diapason a *dia* quod est de et *pason* totum eo quod continet sub se omnes proprietates et invenitur de quacumque littera simili ad similem ascendendo et descendendo seriatim vel prolatim ut hic patet inferius :



¹³⁹Semitonium cum diapente, i. exacordum, est coniunctio VI vocum et constat ex diapente et semitonio ascendendo et descendendo, seriatim vel prolatim, ut hic patet inferius :

¹⁴³Item notandum est quod exacordum dicitur ab *exa* quod est VI, et *corda*, *corde*, eo quod constat ex sex vocibus. ¹⁴⁴Et eptacordum [septima] dicitur ab *epta* quod est VII et *corda* corde. ¹⁴⁵Et secundum quosdam in his duabus speciebus non fit divisio aliqua, cum semitonium vel tonus componitur cum diapente, et similiter cum semidytonus vel dytonus componitur cum diapente, et sic secundum illos non <sunt> nisi XI species cantus.

¹⁴⁶De ficta musica

¹⁴⁷Falsa musica dicitur quando de tono fit semitonium vel e-converso, vel quandocumque per veram musicam non potest fieri consonantia speciei diapente concordabilis perfectio, vel diatessaron vel diapason. ¹⁴⁸Et tunc per falsam musicam debemus cantare mutando tonum pro semitono vel econverso. ¹⁴⁹Item (?) in omnibus tonis possunt applicari signa designantia semitonia, ut sunt hec, s. b, $\flat$ ita quod quandocumque b rotundum invenitur, dicimus hanc vocem esse *fa*, ubi vero $\flat$ dicimus esse *mi*. ¹⁵⁰Et sic tonus in semitonia reducendo hoc in pluribus vocis fit ad evitandum tritonum quia quando IIII^{or} vocibus figuratur, tunc diatesseron discordat. ¹⁵¹Et quando de V vocibus figuratur, tunc diapente discordat et sic tritonus omnibus suis modis est discordabilis.

¹⁵²Notandum est <quod> quandocumque due voces de una distantia ad aliam, i. de linea ad spatium, descendendo, vel ascendendo invenimus sub litteris in quibus tonus assignatur, [quod] tunc debemus facere semitonium. ¹⁵³Ex tali enim divisione fit cantus dulcis, placabilis et decorus, et si fas est dicere angeli per diesem [et thesim] dulciter canunt de istis consonantiis coram benignissima et gloriosa maiestate dei. ¹⁵⁴Et hoc patet in hac sequentia *Victime pascali* et in ceteris locis similibus.

¹⁵⁵De tonis

¹⁵⁶Primus et secundus tonus finitur in ·D· gravi sed differunt <quia> *seculorum* primi toni incipit <in> ·a· acuto et *seculorum* secundi toni in ·E· grave. ¹⁵⁷Tercius et quartus finiuntur in ·E· grave, sed differunt quia *seculorum* tercii toni incipit in ·c· acutum et *seculorum* 4ⁱ toni incipit in ·a· acutum. ¹⁵⁸Quintus et 6^{tus} finitur in ·E· gravi sed differunt quia *seculorum* quinti toni incipit in ·c· acu-

¹⁶⁰ Est in ·D· vel in ·a· primus tonus atque secundus
¹⁶¹ Tercius et quartus vel in ·h· vel in ·E·que locatus
¹⁶² Cum 5^{to} 6^{tus} vel in ·C· vel in ·G· requiescunt
¹⁶³ Septimus octavus ·G· ·g· sumunt sibi finem.

¹⁶¹Tercius et quartus vel in ·b· vel in ·E·que locatus

¹⁶²Cum 5^{to} 6^{tus} vel in ·C· vel in ·G· requiescunt

¹⁶³Septimus octavus ·G· ·g· sumunt sibi finem.

164 De inceptiōe tonorum

¹⁶⁵Primus cum sexto *fa sol la* semper habeto

¹⁶⁶Tercius octavus *ut re fa* sicque secundus

¹⁶⁷ *La sol la quartus fa la fa sit tibi quintus.*

[illegible]

68 dimissio] divisio *cod.* | sub] ab *cod.*

69 totaliter] taliter *cod.*

107 in] de *cod.*

118 sine aliquo intervallo] *add. marg.*

119 Boetius] Bo. *cod.*

120 tonus...] diffinitio Guidonis *marg.* | vel sic tonus...] diffinitio Boetii *marg.*

122 alio nomine vocatur 3^a imperfecta *marg.*

124 alio nomine dicitur 3^a perfecta *marg.*

132 que] qui *cod.*

136 *fa sol la mi fa* vel *fa fa* *add. marg.*

137 alio nomine 8^a dicitur *marg.*

139 Alio nomine vocatur sexta imperfecta *marg.*

140 Alio nomine sexta perfecta vocatur *marg.*